



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 949. Quid veniat hic nomine ecclesiæ, & qualiter distinguatur à Basilica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

ces Principi debita pro ejusdem sustentatione vel pro communi utilitate reipublice procuranda, vel malo ejusdem avertendo. Unde etiam lex imponens & precipiens istiusmodi exactiones non est lex pure pœnalis (qualis lex aliàs juxta communem non obligat in conscientia) sed lex pœnalis mixta, nimirum obligans sub culpa simul; cum pœna adjecta legi, non tollat seu impediatur, si quam habet obligationem ad culpam, uti patet in lege vetante, furtum, homicidium &c. sed neque præsumendum intentionem principum imponentium vectigalia justa ad decentem sui sustentationem vel pro bono communi, quod alià viâ obtineri nequit, non esse

obligare sub culpa, dum ad hoc præcipiendum dirigitur à lege divina & naturali; talem enim rationabilem præsumptionem generare non potest consuetudo, quâ passim pro merè pœnali habentur impositiones tributorum, & sine scrupulo violentur. Quàm diu contrarium fit à timentibus Deum exactè ea solventibus, dum sciunt se ad sustentandum principem malumque commune avertendum obligari, contra quos in præjudicium civitatis adduci non debent pro exemplo facta aliorum. De tributis impostis Ecclesiasticis à Principibus laicis, uti & de gabellis. vide Delb. *de immunit. in indice*, & dicitur à nobis infra.

TITULUS XL.

De consecratione Ecclesie vel altaris.

CAPUT I.

De consecratione Ecclesie, Cæmeterii, Altaris & Calicis.

Quest. 949. Quid veniat hic nomine Ecclesia, & qualiter distinguatur à Basilica?

Resp. Ad primum: Tametsi spectato Etymo nominis *Ecclesia* significet Christianorum Catholicorum cætum seu congregationem, *can. 7. dist. 1. de consecrat.* in sensu tamen *hujus tit.* & juxta *can. 8. & 17. dist. cit.* significat ædem sacram, in qua fideles ad audiendum verbum Dei & percipiendâ sacramenta congregantur.

2. Resp. Ad secundum: Tametsi spectando nominis etymon aliqui cum Barb. *jur. Eccl. l. 2. c. 1. n. 10.* & Fagn. *in cit. c. 7. n. 4.* Basilicas vocent eas tantum Ecclesias, quæ à regibus summisque Principibus extructæ, dotatæ, ut plerumque sunt Patriarchales, metropolitanæ, Cathedrales. Dum tamen hujus aut alterius differentie fundamentum in jure communi requiratur ab aliis communiter promiscuè ferè & pro Synonymicis accipiuntur Basilicæ aliæque Ecclesiæ, cui acceptationi ipsa jura suffragantur ut constat ex *can. omnes Basilica. 16. q. 7. can. non oportet. dist. 42. & c. fin. de Eccles. adif.*

Quest. 950. Quid sit consecratio Ecclesie, & qua inter hanc & benedictionem Ecclesie distinctio.

Resp. Consecratio Ecclesie est ejusdem dicatio seu dedicatio ad cultum divinum speciali ritu à legitimo ministro facta ad hoc, ut populus Christianus opera religionis in ea rite exercet. Reiffenst. *h. t. n. 1.* cum communi. Qualis etsi suo modo dici quoque posset ejusdem benedictio, inter hanc tamen & illam hæc est præcipua differentia; quòd consecratio inhereat parietibus, sive illorum interiori cruxta, quæ sacro oleo linitur appictisque crucibus signatur: benedictio verò inhereat solo

seu pavimento, quod aspergitur aqua benedicta, juxta *Pontif. Rom. tit. de benedict. & consecrat. Eccles.* unde etiam parietibus corruentibus aut etiam solummodò interiùs decrustatis amittitur Ecclesie consecratio. *can. Ecclesiis. 19. dist. 1.* non tamen benedictio. De quo plura in sequentibus expressè professò.

Quest. 951. Ecclesia num consecranda ante constitutam & collatam ei dotem competentem; & quænam illa?

Resp. Ad primum: Ecclesia fundanda seu ædificanda non est, nisi priùs competens dos assignata, & si id factum non est, adhuc consecrari licitè non potest, nisi ei de dote provisum fuerit, ita ut ad hæc deinceps fundator, vel qui fecit eam consecrari, ex debito vel quasi contractu teneantur non secus ac juxta *c. 16. de præbend.* qui aliquem SS. Ordinibus curavit initiari, obligatur ei providere de titulo sustentationis. Pro ut hæc habentur *c. 8. h. t. can. nemo. 9. de consec. dist. 1. can. 1. caus. 1. q. 2.* Auth. de SS. Eccles. *S. si quis autem. collat. 9.* ac proinde conceditur contra eum condictio ex *cit. c. 8.* vi cujus ad id etiam laicus fundator à iudice Ecclesiastico compelli possit ut Host. Abb. *Pirh. ll. mox. citandis.* ubi verò id non potest fundator, vel qui eam consecrari fecit, tenetur ad id Episcopus consecrans vel ex bonis Ecclesie suæ, si sine gravi hujus læsione id fieri possit. Arg. *c. Apostolica. de donat.* vel ex patrimonio suo, ut cum Host. *in cit. c. 8. v. tanquam ex debito.* & Abb. *ibid. num. 2. & 3.* limitatur tamen responsio in Ecclesiis mendicantium & Ecclesiis ædificatis in monasterio habente sufficientes redditus. Sylv. *v. Ecclesia 2. q. 2.* Azor. *p. 2. l. 9. c. 3. q. 7. in fine.* Pirh. *loc. cit. in fine.* Reiffenst. *h. t. num. 6.* & DD. communiter, *inc. 1. de censib.*

SS ff 3

2. Resp.